

Jahresbericht

des

Königlichen Gymnasiums zu Marienwerder

für das Schuljahr 1886/87.

Inhalt:

Marienwerder 1887.

Druck der R. Kanter'schen Hofbuchdruckerei.

1887. Progr. Nr. 36.

De fontibus, quos Cicero in libello de fato secutus esse videatur.

Scripsit

M. Meinecke.

Cicero cum a republica forensibusque negotiis prohibitus otioque languere coactus philosophiam civibus explicare et rem tam gravem latinis etiam litteris comprehendere sibi proposuisset, studium omne curamque ad elaborandos de philosophia eiusque partibus libros convertit, ita ut plures brevi tempore eversa quam multis annis stante republica scripsisse se ipse confiteretur [1]). Atque hos tot tamque amplos de philosophia libros intra temporis spatium biennio brevius elaborans auctores praecipue graecos secutus est, ita tamen, ut non semper eandem in fontibus exhauriendis rationem adhiberet; sine dubio iis libris, quibus praecepta certae sectae institutaque oratione perpetua explicaturus erat, ad exemplum aliorum, quae dicenda putabat, accuratius expressit quam quibus suo ipsius Marte philosophabatur: velut in libris de officiis permulta e suae scientiae cognitionisque copia exprompsisse atque e fontibus aliorum tantum iudicio arbitrioque suo, quantum quoque modo videretur, hausisse eum nemo facile neget, aliis vero scriptis ex aliorum auctoritate plane pependisse et in iis acquievisse videatur, quae de graecorum philosophorum sententiis vel a magistris acceperat vel alicubi invenerat, ita tamen, ut in recensendis illorum placitis maxima, qua potuit, cum diligentia ac fide versaretur et suum quoque iudicium adiungeret. Cuiusmodi autem in auctoribus vel graecis vel romanis adhibendis Ciceronis ratio fuerit, quantum ab aliis sumpserit, quatenus suus sit, quaestionibus de singulorum librorum fontibus subtiliter habitis inter homines doctos hodie iam constat: de fato Ciceronis libellum nemo adhuc, quantum scio, ad fontes reduxit.

Atque procedens ad hanc quaestionem mihi propositam de fontibus Ciceronis de fato libelli a principio moneo hanc rem propter mutilitatem scripti Tulliani obscuram difficilemque videri, de qua certum quid non facile quisquam dicere velle audeat, tamen, quae iam exstant, accuratius perscrutans ex iis aliquid verum vel certe veri simile confido posse expediri.

Priusquam autem ad rem adgredior, de fato philosophorum doctrinam paucis percurrens nonnulla praemittere liceat. Duae enim fuerunt veterum philosophorum sententiae, altera eorum, qui omnia censuerunt ita fato fieri, ut id fatum necessitatis vim adferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles, Stoici fuerunt, altera eorum, quibus visi sunt sine ullo fato esse animorum motus voluntarii. Epicurus postea ope declinationis atomorum libertatem voluntatis a naturalibus impulsionibus necessariisque causis liberari. Chrysippus autem Stoicus cum medium inter Stoicos et Epicureos ferire vellet, in fato vim necessitatis non posuit, cum propensionem et inclinationem in hominum potestate relinqueret [2]). Contra quem disputavit Diodorus dialecticus, qui quidem fatum non inducebat, sed in libro περὶ δυνατῶν quaerebat, quae vis esset earum enuntiationum, in

---

1) Cic. de offic. III, 1, 4.
2) Cic. de fato 17, 39

quibus aliquid fieri posse aut non posse dicebatur, cum ex vi verborum et ex enuntiationibus Chrysippus fatum confirmaret. Deinde Carneades Academicus acutissime et subtilissime Stoicis respondens gravibus argumentis contra horum de fato sententiam docuit motum esse posse quendam voluntarium a se ortum, cuius antegressae externaeque essent causae nullae. Scilicet rursus Stoici Academicorum argumenta refutare studuerunt nec tamen omnibus partibus antiquiorum sententias tuiti esse, sed aliquid videntur mutavisse. Quid Panaetius, Stoicorum princeps, qui priorum acerbitatem sententiarum spinasque disserendi improbabat, de fato senserit, nusquam traditur; tamen cum de vi divinandi eum plane dubitasse appareat e Diog. Laert. 7,149[1]), hac quoque in re eum ab antiquioribus degenerasse conici licet; nam qui divinationem improbat, is fatum non potest defendere. Posidonius autem quanquam multis partibus magistri vestigia sequebatur et rationem Stoae emendandae ab illo praescriptam inchoatamque tenebat, tamen fatum rursus defendisse videtur, certe in hoc genere respectis illorum argumentis captiosas et fallaces a Chrysippo adhibitas conclusiones vitavisse credi potest ex iis verbis, quibus Cicero in libro de fato a Posidonio ad Chrysippi laqueos revertitur (4, 7). Sed satis de hoc.

Jam ad rem adgrediamur. Libello, qui de fato inscribitur, Cicero sermonem exposuit a se habitum cum A. Hirtio consule designato a. u. c. 710 post Caesaris interitum in Puteolano, unde tum etiam epistulas ad Atticum (14,9 et 10) misit. Hic autem libellus ad nos non pervenit integer, sed deest exordium, tum disputationis contra Posidonium susceptae principium, deinde argumentationis contra Chrysippum institutae extrema pars et totius scripti exitus. Uno an duobus libris[2]) a Cicerone conscriptus fuerit, nemo videlicet hodie dicat. Nec multum hoc refert. Quae autem superest pars disputationis, ea versatur in refutandis quibusdam captiosis Stoicorum argumentis, quibus fatum esse probabant. Neque vero in eam partem accipienda eius argumentatio est, quasi fatum non esse adfirmet, sed ex iis, quae Stoici attulerint, hoc non probari. Quod autem in libris de deorum natura et de divinatione compositis Cicero fecerat, ut in utramque partem perpetuam explicaret orationem, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur, id in hac de fato disputatione non fecit, sed ipse solus contra Stoicorum sententiam disputans non omnia fato geri et evenire defendit. Ac primum quidem refutatur argumentum Stoicorum e contagione naturae, quam συμπάθειαν vocabant, ad confirmandum fatum petitum; cuius quidem disputationis partis principium mala fortuna intercidit. Tamen quae §§ 5 et 6 comprehenduntur et verba, quae initio § 7 exstant, ostendunt in amissa orationis parte contra Posidonii potissimum argumenta Ciceronem disputasse. Primis iam verbis, ubi Cicero in Antipatro poëta, in brumali die natis, in fratribus simul aegrotantibus, in urina, in unguibus, in reliquis eiusmodi vim esse fatalem ullam negat, exempla breviter repetit, quae antea nimirum accuratius explicavit. Bona fortuna restant iam nobis Augustini in libro de civit. dei 5, 2 verba[3]): „Cicero dicit Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, genuinos suspicatum; quos Posidonius Stoicus multum astrologiae deditus eadem constitutione astrorum natos eademque conceptos solebat adserere; ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis, hoc philosophus astrologus ad vim constitutionemque siderum, quae fuerat quo

---

1) cf. Cic. de div. I, 3, 6; II, 15, 35; Acad. pr. II, 33, 107.

2) Verbis Gellii n. att. 6, c. 2 (p. 367) „Cicero in libro, quem de fato conscripsit", veri simile fit uno libro de fato disputationem comprehensam fuisse; tamen Kühnerus in libro (de M. T. Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita. Hamburg. 1825) p. 59 scribit: „Libris de nat. deor. et de divinatione adiunxit duos de fato libros, ut toti huic quaestioni abunde satisfactum esset; e quibus exordium et alterius libri particula exigua nobis est servata." Unde hoc coniciat v. d., non intellego.

3) Cic. opera edd. Baiter et Kayser ex offic. Tauchnitz. vol. VII, p. 233.

tempore concepti natique sunt.“ Verba, quae plena attuli, sunt Ciceronis ipsius, et quanquam ab Augustino hoc loco non illius de fato libello attribuuntur, tamen aliunde non possunt sumpta esse nisi e prima Ciceronis contra Stoicos disputatione, quae inter §§ 4 et 5 inserenda haud ad nostram aetatem tota pervenit. Ac sicuti de fratribus simul aegrotantibus copiosius verba facta sunt, ita non minus de reliquis eiusmodi exemplis, quae Cicero § 5 init. repetit, accuratius eum disseruisse conici potest. Neque tamen hunc in modum solum lacuna explenda est, nam legimus in disputationis posteriore parte (17, 40) haec Ciceronis verba: „atque hoc, si placet, quale sit videamus in adsensionibus, quas prima oratione tractavi.“ Hoc igitur loco Cicero dicit se prima disputationis parte adsensiones iam tractavisse, proxima autem perscrutari velle, num fato adsensionibus adhibito necessitas ab his removeri possit. Nunc autem in ea, quae superest, Ciceronis commentatione de adsensionibus nullum exstat verbum; sequitur, ut de his eo loco actum sit, qui hodie non iam superest, i. e. hoc ipso disputationis principio.

Sed iam quaeramus, quemnam auctorem in iis, quae § 5 hodie leguntur, Cicero secutus videatur. Atque hoc loco Ciceronis ipsa verba auctorem luculente significant, ita ut nisi qui Tulliani moris ignarus est, de fonte non possit dubitare. Haec exempla a Cicerone deprompta sunt e Posidonii libro, qui scribenti ante oculos praesto fuisse debet. Posidonii enim, qui verbis expressis magister appellatur, venia impetratur, si e magno illo exemplorum numero absurda nonnulla dicuntur. Verba Ciceronis sunt: „quaedam etiam Posidonius — pace magistri dixerim — comminisci videtur; sunt quidem absurda.“ Cicero igitur se excusat, quia Posidonium magistrum quaedam dixerit commentum esse, quod quidem non incogitate dixerit, cum re vera in iis, quae profert Posidonius, quaedam exempla plane sint absurda. Quaeritur, haec exempla e Posidonii scripto, quod Cicero componens in manibus tenebat, sintne sumpta an ab ipso e memoria addita. Nihil accipi potest nisi Posidonii scriptum praesto ei fuisse; namque cum adgreditur ad redarguenda exempla a Posidonio prolata, Posidonium ante oculos scribenti sibi esse ut fateamur ipse cogit; quibus in exemplis naturae contagio valeat, in iis dicit nullam esse vim fatalem; in aliis autem fortuita quaedam esse posse, quaedam etiam absurda esse; „quid autem magnum, naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? quanquam huic quidem hic (sc. Posidonius) scribit praedictum in aqua esse pereundum.“ Jtem verba, quae sequuntur: „ne hercule Jcadii quidem praedonis video fatum ullum; nihil enim scribit (sc. Posidonius) ei praedictum“, Posidonii scriptum Ciceroni praesto fuisse demonstrant. Atque in Ciceronis explicationis ea parte, quae inter § 4 et § 5 inserenda hodie non iam exstat, Posidonii mentionem factam esse, ex iis, quae ex Augustini libro supra commemoravi, verbis satis elucet.

Posidonius autem, Ciceronis magister, doctrinae fama operumque praestantia clarissimus, ut in ceteris de philosophia scriptis omnes partes peragrans cunctas mente comprehendit[1]), ita in libro de fato totam materiam dicitur complexus esse. Jnter multos enim librorum titulos, quos Diog. Laertius in septimo de vitis, dogmatis, apophthegmatis clarorum philosophorum libro Posidonio nostro tribuit, exstat de fato scriptum. Sunt autem verba, quibus hoc arguitur, Diog. Laert. 7,149 p. 188 Hübner: καθ' εἱμαρμένην δέ φασι τὰ πάντα γίγνεσθαι Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης καὶ Ποσειδώνιος ἐν δευτέρῳ περὶ εἱμαρμένης καὶ . . . . Posidonium igitur libros de fato scripsisse pro certo adfirmari potest; duos tantum an plures scripserit, nullo docetur testimonio.

Sed redeamus ad rem nobis propositam. Posidonii opus, quod Ciceroni § 5 scribenti

---

[1]) cf. J. Bake, Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae. Lugd. Bat. 1810.

ante oculos fuisse videtur, id ipsum haud scio an fuerit, quod a Diogene Laert. commemoratur περὶ εἱμαρμένης inscriptum. Jtaque rem optime intellegimus, si ea, quae hic profert Cicero, exempla ex hoc Posidonii scripto eum sumpsisse suspicamur. Quatenus ad verba magistri in excerpendis Posidonii libris Cicero se adiunxerit, accurate non potest disceptari, cum praesertim eorum, quos Cicero in libris de philosophia conscriptis secutus videatur, auctorum paene nullae iam supersunt reliquiae. Tamen si Cicero verbis §§ 5 et 6 comprehensis illius exempla dicit absurda esse iisque nullam vim fatalem demonstrari, sed ad naturam aut fortunam omnia posse referri, iam id a principio statuamus oportet in excerpendo auctore Ciceronem maiore libertate versari et in recensendis magistri argumentis suo saepius uti iudicio. Et sine dubio plane suus est in extremis § 6 verbis, quibus refutationem Posidonii argumentorum absolvit: „si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu aut pleraque fierent aut omnia, non aliter ac nunc eventura omnia; quid ergo attinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad fortunam naturamve referatur.“ En Ciceronis ipsius de fato sententia. Sed pergamus.

§ 7 Posidonii argumentis refutatis Cicero verbis „ad laqueos Chrysippi revertamur“ ad Chrysippi captiosam argumentationem adgreditur, cui quidem primum de hac ipsa contagione rerum respondeat, de qua iam Posidonio antea responderat. Hic monere velim vel ex his Ciceronis, quibus ad Chrysippum transit, verbis concludi posse, in priore iam explicationis parte de Chrysippi fallacibus conclusionibus verba facta esse, nimirum prima illa oratione, quae mala fortuna periit. Nunc igitur postquam contra Posidonii argumenta disputavit, ad Chrysippum Cicero redit. Argumentum Stoicos ad fatum probandum e contagione naturae arcessivisse testatur Plutarchus in libello, qui ipse mutilus ad nos pervenit, de fato his verbis: δεύτερον δὲ τὸ φύσει διοικεῖσθαι τόνδε τὸν κόσμον, σύμπνουν καὶ συμπαθῆ αὐτὸν αὑτῷ ὄντα[1]), qua quidem contagione Cicero nihil effici respondet, nisi ut alii ad alia propter causas naturales et antecedentes sint propensiores. Certum sane esse perorat ex tenui caelo homines acutiores putari, velut Athenis Zenonem, Arcesilam, Theophrastum aliosque homines ingeniosos floruisse, crasso contra caelo pingues et robustos gigni, velut Thebanis corpora ad varia certaminum genera apta esse; illa vero loci contagione non effici, ut quis Zenonem aut Theophrastum audire aut in Nemeis potius ludis quam in Jsthmicis certare aut in Pompei porticu potius quam in campo ambulare velit. Ad quasdam igitur res naturam loci pertinere aliquid, ad omnes non valere; certe non intellegi, quam vim naturae contagio in hominum adpetitiones et voluntates habere possit.

Disputat hoc modo Cicero contra Stoicorum, Chrysippi potissimum, argumentum a contagione naturae petitum. Chrysippus, homo sine dubio versutus et callidus, Stoicorum disciplina omnibus partibus excolenda decretisque defendendis clarissimus, de fato scriptum composuit teste Diog. Laert. 7,149 „ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης“, praeterquam quod etiam in libro περὶ προνοίας de fato aliquid protulisse dicitur ab Aul. Gellio 7, 2, 3 his verbis: „(Chrysippus) in libro περὶ προνοίας quarto εἱμαρμένην esse dicit φυσικήν τινα σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων“ etc. Cicero autem in libello de fato et nostro loco et posteriore oratione saepius huius Chrysippi non solum mentionem fecit, sed etiam sententias eius ad verbum expressit. Nunc quaeritur, num in hac disputatione contra Stoicorum fatum suscepta Cicero, quae hodie apud eum legimus, ex ipso Chrysippo hauserit. Ac sunt, qui putent in componendis de philosophia libris ex eorum, quoscumque nominat, philosophorum scriptis Ciceronem cuncta conscripsisse. Cui quidem sententiae a

---

1) cf. Zelleri hist. philos. III[1] p. 162. Universam hanc illorum de fato doctrinam a scriptoribus historiae philosophiae non satis explicatam enarravit O. Heine in libro: Stoicorum de fato doctrina. Numburg. 1859.

Teuffelio[1]), Kuehnero aliisque defensae cum brevitas repugnat narrationis, tum admirabilis illa celeritas, qua intra spatium temporis tam exiguum tot tantosque de philosophia libros Cicero composuit. Nec dubium esse potest, quin philosophorum placita decretaque non ipse ex eorum scriptis Cicero collegerit, sed collecta in aliquo libello reppererit. Huc accedit, ut in adhibendis graecis auctoribus Cicero eam secutus sit rationem, ut unum potissimum ante oculos haberet et tum demum ex aliis suppleret, si quando ille non satis accurate rem et copiose videbatur exposuisse. Quae cum ita sint, auctorem indagemus oportet, in quo Cicero Stoicorum de fato sententias a Chrysippo constitutas, a posterioribus contra Academiam defensas repperisse videatur. Nunc autem inter Stoicos, qui Chrysippo succedebant, nominantur Zeno, Diogenes Antipater, Panaetius, Posidonius, e quibus cum Zeno et Diogenes Antipater in censum nobis venire non possint, Panaetius et Posidonius restant. Panaetius, quem divinationem in dubium vocasse et multis partibus ab antiquioribus degenerasse constat, in nostro de fato libello nullo loco commemoratur, contra Posidonius priores disputationis paragraphos perlustrantibus is nobis probari debuit, cuius liber Ciceroni de fato scribenti ante oculos fuit. Quodsi a Cicerone initio § 7 Posidonius dimittitur, ut ad Chrysippi laqueos reditus fiat, non ita nimirum hoc intellegendum est, ut statuamus Posidonii scriptum Ciceronem seposuisse et alium scriptorem adhibuisse. Posidonium Cicero auctorem etiam in Chrysippi sententiis enarrandis et redarguendis secutus est. Sed rem plane perspicuam fieri posse confido, si longius in commentatione nostra erimus progressi. Jn ea, de qua nunc agimus, parte Chrysippi argumentatio ex contagione naturae petita exemplisque probata repudiatur et ita, ut et ipse Cicero e sua aliquid scientia addat. Thebarum Athenarumve caelum quantam vim in hominum habeat naturam, Cicero quamvis ipse non ignoraverit, tamen in auctore iam invenisse videtur, sed ut orationem reddat speciosiorem, saepius e romana quoque vita historiaque exempla adfert, velut hoc loco porticus Pompei, campi Martii, Jduum, Calendarum mentio fit. Sed iam pergamus.

Postquam demonstratum est naturae contagione nihil effici, nisi ut propensiores alii ad alia sint, § 10 etiam propensiones propemodum tolli posse exemplis Stilponis Megarici et Socratis[2]) probatur.

Ad eiusmodi exempla excogitanda etsi non ita multum acuminis opus est, tamen recte rem nescio an intellegamus, si ea quoque in auctore, quem Cicero sequitur, iam exposita fuisse accipimus, cum praesertim et hoc et aliis locis arte cum argumentatione ipsa cohaereant.

Absoluto primo Stoicorum de fato capite § 11 ad alterum accedit Cicero argumentum a divinatione petitum. Hac occasione tangitur luctatio illa περὶ δυνατῶν, quae Chrysippo erat cum Diodoro. Hic enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum aut futurum sit et quicquid futurum sit, id fieri necesse esse et quicquid non sit futurum, id negat fieri posse; cui quidem sententiae Chrysippus refragatus etiam, quae non sint futura, fieri posse defendit. Cicero autem e divinationis comprobatione docet in Diodori sententiam Chrysippum invitum delabi (§§ 12—14).

Vestigia fontis Ciceronis circumspicientibus duobus huius disputationis partis locis Stoicae

---

1) Hist. litt. rom. p. 332.

2) Jdem Socrates, cuius e corporis statura Zopyrus physiognomon mores pernoscere quanquam profitebatur, non valebat, commemoratur a Cicerone Tusc. IV, 37, 80. Atque vitia e naturalibus causis nasci, exstirpari autem et funditus tolli voluntate studioque eodem exemplo Socratis probatur ab Alexandro Aphrodisiensi Peripatetico, qui quidem in libro περὶ εἱμαρμένης conscripto accuratius Cicerone hanc totam quaestionem persecutus est (edit. Orelli. Turic. 1824 c. 6 extr.). Cf. Zeller, l. c. III[1] p. 778. 789 sq. Num et quatenus hinc in communem utriusque auctorem sit coniciendum, non ad nostram pertinet rem.

doctrinae membra certa nobis occurrunt, e quibus non ad Academici, sed ad scriptum Stoici cuiusdam Tullianum de fato libellum reducendum esse apparet. Atque Stoicum auctorem indicant verba Ciceronis initio cap. 6 de divinatione, qua quidem Stoici fatum confirmabant. Etenim cum divinatio constet ex earum causarum observatione, quarum colligatione fatum nectitur, fatum esse debet, si divinatio est. Quod quidem Stoicorum argumentum Cicero vel is, quem sequitur, auctor refutans fato ex divinationis ratione firmato voluntatem, studium, disciplinam tolli dicit nec divinationem esse, nisi, quaecumque futura praedicantur, necessario eveniant. Hic paulum subsistamus. Namque contra divinationem ipsam nihil dicitur, cum ex ea argumentum ad fatum probandum peti posse negatur. Nunc autem si in libello de fato componendo Academico auctore Cicero nixus esset, divinationem prorsus improbare debuit. Jtaque cum Stoici eam comprobarent, e Stoico fonte Cicero hauserit necesse est. Longius videamus. Vel Posidonii auctoris indicium his de divinatione verbis praebetur nobis luculentissimum. Etenim hac ipsa re, quam ut philosophis probarent, Stoici argumenta undique colligebant, Panaetium quidem Academicorum praecipue argumentis respectis ab antiquioribus degenerasse et de vi divinandi plane dubitasse constat e Diog. Laert. 7,149: ὁ μὲν γὰρ Παναίτιος ἀνυπόστατον αὐτήν (sc. τὴν μαντικήν) φησιν[1]). Posidonius vero quae de divinatione a Carneade Academico reiecta, in dubium vocata erant a Panaetio, eadem defendisse traditur. Jnter Stoicos autem recentiori aetati tribuendos ii potissimum momenti nobis debent esse, qui post Chrysippi aetatem Academicorum argumentis iam tacti erant. Praecipue autem cogitandnm est de Panaetio et Posidonio, inter quos optio eligendi fluctuare videatur. Sed cum Panaetius divinationem reiecerit, hoc autem, de quo agimus, loco divinatio accipiatur, unus nobis Ciceronis auctor restat Posidonius. Accedit, quod Academicae disputandi rationis nusquam, Stoicae alia insuper vestigia exstant, velut de oraculis divinisque praedictis Ciceronis verba (§ 13); namque singula divinationis genera, auspicia et omina, oracula et vaticinia ab Academicis plane improbabantur, quod quidem maxime elucet e Ciceronis in secundo de divinatione libro contra Stoicam rationem superiore libro explanatam disputatione instituta (cf. praecipue 2,56 sq.). Jtaque pro certo paene poni potest non Academicum Ciceroni praesto fuisse auctorem, sed Stoicum[2]), et cum pro solita in exhauriendis graecis fontibus ratione in uno eodemque Cicero, quem sequeretur, auctore persisteret, eum fuisse Posidonium. Jam licet addi Ciceronem tota hac enarratione (§§ 11—14) disseruisse, nisi quae in Posidonio de Chrysippi et Diodori argumentatione disserta invenerat. Posidonius rursus Chrysippi hanc divinorum praedictorum interpretationem adferens in scripto Chrysippeo niti potuit, qui quidem περὶ χρησμῶν duobus libris totam de divinatione sententiam traditur explicasse[3]), quanquam addendum est ipsum quoque Posidonium quinque libros περὶ μαντικῆς composuisse teste Diog. Laert. 7,149[4]). Hoc nostro loco Cicero Diodori sententia explicata Chrysippo satis responderi videtur putasse. Num et quatenus Posidonius Diodoro adsentiens Chrysippi de hac re opinionem probaverit, postea exponere liceat; nunc satis habeo ostendisse Stoico e fonte haec verba fluxisse.

Cicero ipse, ut erat Academicus et Academicorum disputandi genere imbutus, fatum Stoicorum sine dubio improbavit, attamen ut de fato philosophorum decreta explicaret, Stoicum auctorem sequi coactus est, scilicet cum a Stoico de hac re accuratius disputatum esse intellexisset.

---

1) Cf. Cic. de div. I, 3, 6; II, 15, 35; Acad. pr. II, 33, 107.

2) Non recte igitur iudicasse Zellerus mihi videtur, qui l. c. III[1]. p. 651 adn. 1 Clitomachum Ciceronis in libello de fato conscripto auctorem fuisse opinatur.

3) cf. Cic. de div. I, 3, 6; 19, 37; II, 56, 115; 65, 134.

4) cf. Cic. de div. I, 3, 6; 30, 64; 55, 125; 57, 130; II, 15, 35; 21, 47.

Sed rem persequamur. Priusquam de contentione illa inter Chrysippum et Diodorum verba facere pergit, Cicero c. 8 de Chrysippi distorto enuntiandi genere, quo Chaldaeos ceterosque divinos sperat contentos Stoicorum causa fore, nonnulla profert. Docet enim Chrysippus, ne in Diodori, contra quem disputat, sententiam ac rationem incidat, quomodo eos praecepta (θεωρήματα) exponere oporteat, ita ut e communibus et universis connexis ea ad coniunctionum negationem transferantur, quasi plus in hac sit necessitatis.

Reditus fit § 17 ad certamen illud περὶ δυνατῶν, in quo, quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. Diodoro enim videtur id, quod fieri possit, necessario evenire, Chrysippo autem placet non necesse esse evenire. Diodorus igitur in enuntiatis vim verborum interpretans neque quicquam ea nisi necessitatem veri vel falsi habere censens non causarum seriem ponit sempiternam neque fati necessitatem confirmat. Quam controversiam περὶ δυνατῶν totam ad logicen pertinentem Cicero adhibet, quia omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse Stoici ad fatum confirmandum putabant. Jllustratur autem haec Diodori cum Chrysippo contentio a Cicerone exemplo Scipionis noctu in cubiculo vi oppressi. Eiusmodi exempla e romana historia repetita quin a Cicerone ipso adiuncta sint, dubitari non potest. Ceterum ubi viri vel res nominantur, quae nisi a romano homine nominari non poterant, ibi liberius Cicero perorare incipit, praesertim si exempla eiusmodi sunt, ut homini romano ad tempus praesto fuisse debeant. Jtaque vel hoc loco Cicero in argumentando et enarrando expeditius versari videtur. Tali modo magna arte sibi praecipue confisus libere, quae legit vel didicit, effingere studens non raro orationem elegantem exhibit politamque. Sed satis de hoc et nescio an nimium.

Jam restat, ut de illis, quae de Epicuri opinione fiunt, verbis aliquid proferam. Cicero postquam § 17 necessitate veri vel falsi in enuntiationibus coarguta ea de causa Stoicorum fatum comprobari non posse exposuit, § 18 ab Epicuro pergit sine causa motum quendam commenticium de via declinationis atomorum introduci. Namque Epicuro, cui voluntas declinatione inducta naturalibus impulsionibus necessariisque causis liberari et ita fatum tolli videatur, quamvis concedat omne enuntiatum aut verum aut falsum esse, non verendum esse, ne omnia fato fieri necesse sit; etenim verum vel falsum esse aliquid non semper causis aeternis, sed saepe causis fortuito antegressis, in quibus nulla sit necessitas fatalis. Velut si quis in Academiam descendat, causis hunc moveri non e naturae necessitate manantibus, sed voluntariis.

Quae quidem de Epicuri doctrina verba scribens quin Cicero ex Epicuri vel Epicurei libro non hauserit, sed in eius, quem ceteroquin est secutus, scripto invenerit, ex eo, quod supra de Ciceronis in libris philosophis componendis ratione dictum est, dubitari non iam potest. Quo bene pertinet, quod tribus locis, quibus atomorum declinationis per occasionem mentio fit (9, 18; 10, 22; 20, 46) Epicuri doctrina non adfertur, nisi ut ostendatur ad Stoicorum fatum reprobandum eam non valere, sed alio modo hanc causam oportere disceptari. Haec hactenus; alia videamus.

Transit Cicero c. 10 ad tertium argumentum, quo Stoici fatum probare studebant: sine causa nihil esse[1]). Atque in Chrysippi doctrina exponenda pergit ita ratiocinantis: si est motus sine causa, velut adpetitio aut voluntas hominum, non omne ἀξίωμα Stoicorum aut verum aut falsum erit; nam quod non habebit causas efficientes, id nec verum nec falsum erit; omnis autem enuntiatio aut vera aut falsa est; motus igitur sine causa antegressa nullus est; itaque omnia fato fiunt.

Ad haec Cicero quanquam concedit motum sine causa esse nullum, tamen, quaecumque fiant, fieri omnia causis antecedentibus negat: etenim voluntatis nostrae non esse causas externas et

---

[1]) cf. Plutarchi (de fato 11, p. 574) verba: τὸ μηδὲν ἀναιτίως γίγνεσθαι, ἀλλὰ κατὰ προηγουμένας αἰτίας.

antecedentes. Atque Chrysippi conclusionem refutans Epicuri et Carneadis ratiocinatione utitur. Ac primum quidem Epicurus omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse negans tertio quodam motu extra pondus et plagam posito necessitatem fati vitari putabat declinatione atomorum, qua quidem aliquid liberum nobis restaret. Carneades autem Epicuri de atomorum declinatione opinionem reprobans ipse quoque et multo subtilius Stoicis respondebat; docebat enim motum animi esse quendam posse voluntarium eiusque non esse antecedentes et externas causas. Quae quidem Carneadis pro Epicuro responsio Ciceroni placuisse videtur et inde proficiscens § 24 sq. de cotidiano dicendi sermonis usu aliquid idque e suo ingenio addere potest. Communi enim consuetudine sermonis si „sine causa“ quis aliquid velle dicatur, non sine aliqua causa, sed sine externa et antegressa causa hoc intellegendum esse. Atque ut in atomorum motibus negat extrinsecus causam quaerendam, ita ab adpetitionibus quoque antegressas causas esse abiudicandas. Jtaque opinionem Chrysippi rem esse sibi factam putantis, si doceat omne enuntiatum aut verum aut falsum esse, facile dilui posse, quoniam futura vera, quae causas, cur futura sint, habeant necesse sit, habere possint fortuitas causas et voluntarias, non aeternas immutabilesque.

Oratione huc progressa Chrysippi argumentationis tertia pars absoluta est. Quaerentibus autem, utrum Cicero in hac e suo ingenio an ex alio auctore hauserit, hoc nimirum a principio nobis abrogandum est ex Epicuri et Carneadis scriptis Ciceronem ea, quae contra Chrysippi argumenta dicenda erant, excerpsisse; sed in eo potius, quem usque secutus est, Stoico auctore, quod a singulis sectis philosophis de Stoicorum doctrina et contra fatum erat disputatum, videatur invenisse. Accedit, quod §§ 20—26 praeclare verba verbis continuantur et uno loco, Chrysippus quid dixerit, ipsius verbis expressum est. Jtaque statuere licet in hac disputationis parte exceptis fortasse §§ 24 et 25 Ciceronem artissimo vinculo cum auctore, quem sequitur, cohaerere. Aliter de § 27 sq. iudicandum est. Jam enim satis demonstratum videtur causis fortuitis et voluntariis effici posse, ut verum et falsum sit in enuntiatis, itaque disputationem absolutam putares, tamen proximis paragraphis de hac eademque re accuratius peroratur. Adde, quod ad Chrysippi sententiam labefactandam exempla e romana historia adsumuntur et tota argumentandi ratio fluctuat. Quid tandem? nonne hinc in coniecturando initium capiendum videtur? Sine dubio hac orationis particula § 27 comprehensa liberius Cicero peroravit. Cum autem novum aliquid ad Chrysippi argumentationem diluendam non addatur et in exemplis viri nominentur, qui nisi a romano homine haud scio an nominari non potuerint, rem optime intellegemus, si totam § 27 a Cicerone ex ipsius arbitrio elaboratam accipiemus. Exempla quidem quin Cicero ipse adiunxerit, dubitari non potest. Ceterum oratio Ciceronis elegans politaque docere nos debet, quanta arte in argumentando et enarrando iis potissimum locis potuerit versari, ubi sibi praecipue confisus, quae e suae scientiae copia sibi praesto erant, libere studebat effingere.

At pergamus. Cicero postquam § 28 sine fato docuit futura immutabilia esse posse, ignavam, quam dicunt, rationem paucis tangit, quae e fato ducta iis nimirum, qui fatum esse adfirmabant[1]), incommodo erat. Nunc autem Chrysippus captionem, quae inerat in ignava ratione, ita solvere studebat, ut in quibusdam rebus simplex, in aliis copulatum esse fatum poneret, quare Carneades in oppugnando Stoicorum fato hanc ignavam rationem non adhibuit, sed alio eos modo premere conatus est. Quae quidem ignava ratio (ἀργὸς λόγος), qua admissa homines inertes fiunt et

---

[1]) Haec conclusio, quae fati infirmandi causa Stoicis potissimum obici solebat, nimirum non a Stoicis constituta est, sed contra eos adhibita. Conf. Zeller, hist. phil. graec. III¹ p. 168 adnot.

omnis e vita tollitur libera actio, in omnibus scholis cum aliorum philosophorum tum Stoicorum tractabatur, neque ulla hac disputatio erat antiquior et communior. Cum autem inde fatum optime subverti posset, Stoicis potissimum, fati adsertoribus, haec ratio dissolvenda erat; et Chrysippus quidem quomodo ignavae rationi responderit, ex iis, quae § 30 exstant, Ciceronis verbis luculenter elucet. Quae quidem verba e graeco suo auctore sine dubio excerpta e graeco in latinum sermonem hic illic correctione quadam adhibita Ciceronem transtulisse apparet cum ex exemplis ad rem illustrandam additis tum ex iis verbis, quibus haec Chrysippi argumentatio concluditur: „haec, ut dixi, confatalia ille (sc. Chrysippus) appellat.“ „Confatalia“ autem est, quod Graeci „συγκαθειμαρμένα“ dicunt (cf. Plut. mor. III, p. 205 ed. Wyttenb.).

Hanc igitur ad verbum expressam auctoris argumentationem Cicero adsumpsit, item quae de Carneadis conclusione ad fatum Stoicorum refutandum ab eodem allata invenerat. Carneades enim Diodori sententia περὶ δυνατῶν adversus Stoicos adhibita cum vera ex aeternitate futura esse sine colligatione naturali causarumque necessariarum antecessione defenderet, immutabilitatem in futurarum rerum veritate non probabat nisi in iis, quarum causas natura ita contineret, ut eas fieri necesse esset; ne Apollinem quidem futura posse dicere nisi ea, quae causis naturalibus et necessariis continerentur. Disputatione huc progressa Cic. § 33 sq. ad rem probandam exemplum addit Marcelli, quem quidem in mari periturum esse praedici potuisse negat. Hoc loco nostrum sui esse ex iis satis videtur elucere, quae supra de exemplorum e romana historia repetendorum ratione commemoravi. Neque minus autem libere suoque nisus iudicio in ea commentationis parte videtur perorare, quae c. 15 hodie comprehenditur. Colligit enim Cicero Diodoreis rationem esse liberiorem et solutiorem quam Stoicis, quibuscum discreparent; deinde postquam proxima paragrapho id, quod supra oppugnatum erat, nihil posse evenire nisi causa antecedente concessit, tamen sequi fatum esse negat, nam non quod cuique antecedat, id esse ei causam, sed quod efficienter cuique antecedat; quare fortuitas praecursiones in causis non posse numerari.

Num et quatenus hoc loco e fonte suo graeco Cicero hauserit, pro certo dici non potest, tamen in ratione liberius perorandi hac eum paragrapho perseverasse probabile videtur esse; primum enim res, quae tractatur, inter omnes constat et scriptori philosophiae non plane imperito nota debuit esse, tum autem ex exemplis ad sententiam probandam allatis unum certe e rebus romanis sumptum, cetera homini romano sine dubio expedita erant. Quae cum ita sint, optime Ciceroni hanc totam enarrationis partem tribuemus, cum praesertim versus § 35 ex Ennii Medea commemorati in eum sine dubio reducendi sint. Verba igitur, quae extremis paragraphis (§§ 33—35) comprehenduntur, omnia fere Ciceroni adsignanda videntur esse, eo saltem, ut haec scribens liberius disputasse et quae dicenda putaret, ex ipsius arbitrio elaborasse credatur.

Sed rem persequamur. Cicero § 36 non id, sine quo effici quicquam non possit, causam docet esse, sed id, quod cum accesserit, id, cuius sit causa, efficiat necessario. Necessitatem vero esse in disiunctionum contradictione, itaque partem alteram veram, alteram falsam esse. Quod cum defendatur a Chrysippo, tenendum esse, ita ut quaedam ex aeternitate vera et fati necessitate esse libera dicantur.

Atque quaestionem de enuntiationibus aut veris aut falsis habitam Cicero exemplo illustrat Philoctetae serpentis morsu sauciati et in insula Lemno relicti, quo quidem perspicue auctor graecus videatur indicari, qui Epicureorum opinionem improbans Chrysippeam sententiam quam plurimum sustinere conabatur. Defendit igitur Chrysippum, qui omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse iudicaverat, tamen addit inde non sequi fatum; neque enim vera esse ex aeternis apta et nexa causis, quae fati necessitatem habeant.

His absolutis illustratur Chrysippi de fato sententia, qui quidem cum inter eos, quibus omnia fato fieri placebat et eos, quibus sine ullo fato videbantur esse animorum motus voluntarii, mediam sequi viam vellet, in fato vim necessitatis non ponebat, sed aliquid in hominum potestate relinquebat atque ut et necessitatem effugeret et retineret fatum, causarum genera distinguens causas esse alias perfectas et principales, alias adiuvantes et proximas dicebat. Ac primum quidem quomodo necessitas fati intellegenda et quatenus confirmanda sit in adsensionibus vel approbationibus (συγκαταθέσεις cf. Acad. pr. 12, 37), §§ 40—45 accuratius explicatur, ita ut Chrysippi argumentatio ipsius saepius verbis enarretur. Longum est exponere, quid de Stoicorum, Chrysippi potissimum, doctrina Cicero dicendum putaverit neque ad quaestionem nobis propositam pertinet. Ciceronis paene ad verbum auctoris expressae de hac re argumentationis magnam vel maximam partem e fonte graeco fluxisse nemo iam negabit, qui semel oculo veloci hanc ipsam explicationem uno tenore perlustraverit.

Jam rem ad finem perducamus. Cicero postquam ostendit Chrysippi fatum e praecurrentibus, non necessariis causis nectentis voluntatisque libertatem retinentis sententiam et eorum, qui quanquam visa anteire concedebant, tamen fato fieri adsensiones negabant, cum proxima illa et continens causa eas non moveret, ad eundem venire exitum, § 46 de Epicuri atomis non recte in praeceps cadentibus verba addit. Jnter § 45 et § 46 lacuna exstat, quae e primis § 46 verbis ita fere expleri potest, ut dicatur, Ciceronem controversia illa disceptata rationem subiunxisse, qua eiusmodi causa disceptari et ratiocinatio philosophorum posset examinari. Qua quidem ratione illustrata § 46 usque ad finem nostri de fato libelli exponitur non ab atomis Epicuri errantibus deque via declinantibus praesidium esse petendum. Rursus Epicuri mentio fit, quem Cicero hic aeque ac prioribus duobus iam locis fatum sine necessitate potius sequi debuisse quam commenticios adferre atomorum motus dicit; nam ita defendi posse quendam animi motum voluntarium, si in fato necessitas nulla sit.

Atque huius explicationis quantum aliunde sumpserit, quantum Ciceroni tribuendum sit, hodie vix intellegitur. Quanquam e verbis § 47: „nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est“, quibus quidem ex obliqua in rectam transitur orationem, nescio an quisquam recte opinetur hoc loco aliquid Ciceronem e sua ipsius sententia addidisse. Haec hactenus.

Jam reliquum est, ut paucis denique verbis de fragmentis agam, quae propitia quadam fortuna e magno nobis quasi naufragio emerserunt.

Ac primo quidem, quod invenitur apud Gellium noct. attic. VII, 2, 15, Chrysippus in quaestione obscurissima laborans memoratur, quomodo explicet et fato fieri omnia et esse aliquid in nobis. Haec verba in ea, quae hodie exstat inter §§ 45 et 46, lacuna videntur fuisse, ubi de Chrysippi controversia de fato adsensionibus adhibito disseruisse Ciceronem probabile est.

Tum Servii ad Vergil. Aen. III, 376 de Tulliana fati definitione[1]) verba e Cicerone excerpta, deinde ab Augustino (de civit. dei 5, 8) versus Homerici commemorantur, quos Cicero in latinum traditur vertisse sermonem, quibus quidem ille addit, quid fatum esse Stoici senserint, apertissime declarari.

Locum proximum (Augustin. de civit. dei 5, 2) iam supra (cf. pag. 4) ostendisse mihi videor in lacunam inter §§ 4 et 5 inserendum esse. Reliquum est, ut de Macrobii (Saturnal. III, 16, 3) verbis „e dialogo de fato Ciceronis“ excerptis pauca dicam. Adfertur enim narratiuncula

---

[1]) Fatum, quod appellatur connexio rerum per aeternitatem se invicem tenens (cf. Cic. de div. I, 55, 125) apud Senecam (quaest. nat. 2. 36) intellegitur necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.

quaedam de Scipione, cui accipenser piscis magno in honore erat. Nihil sane refert quaerere, ubi exstiterit illa apud Ciceronem; ad rem certe nihil pertinet, tamen de fonte nescio an operae pretium sit conicere, e quo hanc vel alias eiusmodi generis narrationes Cicero videatur hausisse. Quanquam concedimus e suae scientiae copia facile eum addere potuisse, quae ad causam illustrandam addenda putaret, tamen melius rem intellegi posse confido, si huiusmodi exempla, quae ab omnium notitia longius disiuncta erant, Ciceronem aliunde sumpsisse statuimus. Caelius Antipater enim, certus romanae historiae auctor[1]), secundum bellum Punicum diligentissime persecutus erat, quo ex scripto Brutum excerpsisse constat. Atque Caelii scriptum eo quidem tempore, quo libris philosophis componendis occupatus erat, Ciceroni praesto fuisse, ex epistula mense Junio a. 709 ad Atticum data (ad Attic. XIII, 8) elucet: „epitomen Bruti Caelianum velim mihi mittas". Fortasse igitur hoc loco Caelianum aliquid ex epitome illa Bruti Caelianorum sumptum profertur. Sed satis de hoc.

